

non amplius viatores vltro, citroque ibi A
præteribant. *Alii* volunt detestatione
criminis à Loto admissi longius recessis-
se: quod nō videtur. Verisimilius est, tri-
sti spectaculo quod quotidie erat in o-
culis ad mutandā sedem permotum fuis-
se. Tota enim planicies Sodomæ mutata
erat in horribilē & inaccessam abyssum,
cuius fœtor vicinos habitatores procul
à se abigebat, & migrare cogebat. Non
displicet tamen eorum sententia, qui fam-
is causa migrasse putant. Nam cap. 26.
1. Isaac etiam dicitur profectus in Gerar
propter famem, quæ fuit in terra, præter
priorem, quæ fuerat in diebus Abra-
ham. Vt sit, peregrinari cogitur Abra-
ham, non habens locum manentem,
cui terra hæreditario erat promissa: *Typus*
est conditionis piorum in hoc mundo,
vbi non habent & habere debent fixam
sedem, quia quærunt ciuitatem non ma-
nu factam in cœlis. Hebr. II.

2. DIXITQUE ABRAHAM DE
SARA. Hic qua occasione, & à quo Sa- C
ra Abrahamo erepta fuerit, indicatur. A-
braham metuens insidias, vxoris causa,
vt prius in Ægypto ne trucidetur, ad pe-
riculum cauendum Saram non dicit v-
xorem, sed sororem suam esse. Nam si-
mili consilio meminerat se aliquādo vi-
tam seruasse in Ægypto. Et ita pacta fue-
rant inuicem Abram & Sara statim in e-
gressu ex Haran, vt se non coniuges, sed
fratres & sorores inter peregrinos profi-
terentur: vt liquet ex ver. 13. Sed denuo
Abraham, dum vitæ suæ consultum cupit, D
dilectissimæ cōiugis pudicitiam præ-
sentissimo exponit periculo.

Exemplum par superiori humanę infir-
mitatis in sancto viro proponitur, qui
immemor periculi non dissimilis, quod
tali consilio incurrerat, ad eundem nunc
lapidem imprudens impingit. Propo-
nit hos lapsus sanctorum patrum Spiritus
sanctus, vt meminerimus, licet exi-
miis fuerint ornati donis, tamen homi-
nes eos fuisse, quorum periculo nos sa-

piamus, neque carnali prudentiæ confi-
damus: Rebus vero dubiis & periculo-
sis non quæramus illicita media, sed re-
cta potius via incedentes à Deo solo
pendeamus.

Afferuntur non pauca ad excusationem
facti: quod virtus Saræ diu multumque
spectata ei erat atque probata; quod se
& Saram Deo curæ esse sæpius iam ex-
pertus fuerat: quod denique id, quod vi-
tare poterat, (necem suam) cauere; quod
non poterat (violationē Saræ) Deo com-
mittere debuerit. Sic videtur etiam *Aug-*
ustinus lib. 22. cap. 33. cont. Faust. Abra-
hami factum excusare.

Verum enimvero, licet probatæ pu-
dicitæ esset Sara: non tamen adducenda
erat in tale periculum, vbi pudicitiam
tuendi facultatem non haberet. Quan-
tumuis etiam sciret, se esse sub Dei pro-
tectione: tamen non debuit tentare
Deum. Ambulantibus enim in viis suis, *Psal. 91. 12.*
non Deum tentantibus custodia Dei &
angelorum promissa est. Vitam quo-
que suam seruare debuit, sed non cum
periculo vxoris. Errauit ergo vir san-
ctus, & peccarunt obliuione prioris pe-
riculi & beneficij sancti coniuges. De-
buerunt recordari, prius vix se euasisse
in simili casu periculum: ideo non ite-
rum Deum tentare. Videtur etiam qua-
dam ingratitude peccare Abraham:
quia reputare debuit, vix absque mira-
culo prius sibi à Deo fuisse restitutam
vxorem; quam iccirco iterum prostitue-
re non debuit. Præcipue autem præ-
postero metu, & diffidentia errat, minus
tribuens prouidentia Dei, quam conue-
niebat. Debuit interrogatus veritatem
dicere, & confidere Deo. Ita non tentas-
set Deum, nec periculū incurrisset. Luit
ergo pœnam temerarij consilij. Sed de
simili facto Abrahami supra cap. 12. plu-
ra diximus. Nobis seruanda regula. *Non*
tentabis Dominum Deum tuum.

Queritur, quomodo nonagenaria Sa-
ra tantæ fuerit formæ, vt à rege pete-

Kkkk 3 retur